



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XVII. JUNII.



Omnæ, a d. 23. Maii.

Superiori hebdomade Pontifex Maximus cū Patribus purpuratis tum de rebus, quæ ei cum rege Sardinix intercedunt, tum etiam

de illis, quæ religionis negotium in Polonia concernunt, consilia agitavit. Posteaquam *Cardinalis* Althanius cum sacri palatii quæstore in colloquium aliquoties venisset, multique suspicarentur, de confirmatione iuris possidendi regnum Neapolitanum Imperatori concedendi inter eos consultatum fuisse; protinus non solum is, cui rex Hispanix curam ac administrationem rerum suarum in aula Pontificis commisit, sed etiam *Tonsens Abbas*, regis Gallix orator ad eundem sacri palatii quæstorem ea de causa accedere volebant, quorum

tamen ille neutri potestatem sui conueniendi dedit. Credimus itaque rem hanc arduam tandem aliquando prorsus esse transactam. Quin & libellum iam, quo ius id Imperatori confirmatum est, *Althanio Cardinali*, per Gasarinum cursorem allatum esse, certum est. Quapropter idem *Cardinalis* Althanius proxima die solis ad Pontificem solemniter accessit, eique libellum, quo Imperator pactum illud confirmavit, obtulisse dicitur. Jamque vestimenta omnibus aulicis suis conficienda curat, vt quamprimum in Neapolitanum regnum, cuius Pro-*rex* constitutus est, proficisci queat. Omnis ei nunc in aula Pontificis habetur honor, tribusque iam continuo diebus epulis a Patre Sanctissimo adhibitus est. Eadem die solis *Cardinalis* Zandarius Templum illorum Patrum, qui a Jesu nomen adscitum habent, S. Ignatio

tio dicatum ritu solemniter consecrauit, Patribusque ordinis illius, librum purpura atque lamina aurea obductum, quadraginta numis aureis duplicatis constantem, cum quibusdam S. Ignatii, nec non B. Aloysii Gonzagæ reliquiis, muneri dedit. Die Lunæ Tonseus Abbas, præter opinionem omnium, Pontificem Maximum adeundi facultatem obtinuit, eo quod cursor ex Gallia missus nuntium ei adtulit plerosque illorum Episcoporum, qui *Constitutionem* adhuc impugnabant, eandem iam adprobasse. Instituta quoque diebus hisce proximis fuit consultatio, de illis in religione turbis quibus Palatinatus nunc exagitur.

Alia a. d. 30. Maii. Ut Pontifex Maximus omnibus testaretur, quanti faceret obsequium Cardinalis Alberonii, in Monasterium Patrum Augustinianorum, in quod relegatus fuerat. promptissime ac sine recusatione ingressi, eam ei indulgit ultro veniam, ut quinque tantummodo menses in eo conclusus teneatur, cum alioquin, ut anni spatium in eo delitesceret, sancitum fuisset in consilio.

Venetis a. d. 30. Maii. Dux noster præterlapsa die Martis, cum Pontificis Legato nauem conscendit, duabusque nauibus triremibus & quamplurimis aliis nauigiis stipatus & in altum progressus, adulto illo solemnique ritu, annulo in mare proiecto, illud sibi deuinxit quod iam tum die 14. Mensis huius facturus erat, nisi tempestate sæua quæ eo tempore obtinuit, fuisset impeditus.

Lisbonæ a. d. 28. Aprilis. Quoniam a longo iam tempore numi illi, qui ex auro expurgato & excocto conflati sunt, ex tabernis mercatorum exfulare cœperunt, rex nuper editis publice mandatis, sex diuersarum formarum aurea numismata quamprimum cudi iussit.

Madritti a. d. 12. Maii. Colsterus Baro, idemque legatus Hollandorum extraordinarius superiori Jouis die, cum omnibus domesticis iter ingressus in patriam rediit.

Lutetiæ Parisiorum a. d. 17. Maii. Solemni inaugurationi sacro, quo Rex initiabitur imperio, diem præstitutam esse 15. Octobris. Aurelianensis edicto die 14. Maii palam edito nos tandem aliquando docuit. Illo die Carolus, Lotharingæ Princeps, vestem Regis humi fluentem excipiet, quod muneris postridie, quum Rex equites, quibus a Spiritu Sancto est nomen, creabit, Neslio, *Marchioni*, destinatum iri, comperimus. Dux Estrensis, qui summus Castrorum præfectus est, coronam Regi præferet; Villa Regio autem partes comitis Stabuli demandabuntur. Villarius magnus Palatii regii erit Magister. Estainius Comes, Alegrius *Marchio*, Beluasius, summi copiarum duces, cum Priore *Marchione*, quatuor *Barones* repræsentabunt. Nudius tertius rex in arcem, cui Mutæ (a) nomen est, commigravit, & paulo post, equo vectus, in campis, sic dictis Elysiis milites, custodiæ corporis adfuetos, lustrauit. Gallos Cenomagensem dnx, Heluetios, Dombarum Princeps ducebat. Propterea quod dux Mecæurius, qui cognatione contingit gentem regiam, haud ita pridem mortuus est, rex octo dies lugubri indutus habitu prodibit in publicum. Causa Contii Principis, quæ in superiore inquisitionum curia acta fuerat, nunc plane perorata est. E tribus enim monasteriis, quorum Contixæ permessa fuerat optio, illa portum elegit Regium, (b) loco quinquaginta autem millium librarum Gallicarum, quæ ea singulis annis poposcerat, non nisi viginti millia ei decreta fuere. Die 14. Maii Episcopus

pus Laudunensis, relicta hac urbe, in dioecesin, quam nuperrime a rege acceperat, profectus est. Eodem die, Chabannius, *Abbas*, praeside episcopo Tutelenfi, solemnem Disputationem, quam *Tentativam* vocant, praesentibus quamplurimis doctoribus Sorbonnicis, instituit. Theses, quas ille defendebat, regis inscriptae erant nomine, ideoque in atrio majore, quod tapetibus egregie ornauerant, purpurati, patres, praesules, aliique primariae dignitatis confederant viri, qui magno ad haec solemnia numero confluxerant. In medio atrii suggestus cui sella brachiata imposita erat, aliquantisper eminebat. Sub umbella autem imago, quae regis speciem referebat, & politissima picta fuerat arte, conspiciebatur. (a) *Muette*. (b) *Port Royal*.

Alia a. d. 27. Maii. Iam edita illorum fuerant nomina, qui ex praecipuis Galliae viris, solemni Regis inaugurationi aderunt. Villarsius magnus palatii regii erit magister, & Villaregius comitis stabuli fungetur munere. Illo tempore, alterum sceptrum, quod manus dicitur Iustitiae (a) Vxellensis, alterum, quod apice Liliorum est insigne; Tesseus, coronam Estrensis, oblationes (b) Matignonus feret. E primoribus Galliae, quos *pares* vocamus Ecclesiasticos, suo quilibet admouebitur muneri, *secularium* autem partes dux Aurelianensis, cum reliquis principibus regiae adnexis stirpi, sustinebit. Postridie eius diei, quo rex inaugurabitur imperio, Estrensis, Beringhenius, summus stabuli Magister, Medavius, & Bourgius Comites, nomine equitum, quibus ceruleae fasciae insigne est, eum comitabuntur in atrium, splendidissime ornatum, ubi alios rex equites creabit. Praeterea, Estrensis dux cohortem militum, e viris nobilibus collectam ducet, & legatum habebit

ducem Laufoniensem. Poncetus Ripensis, Episcopus Andegauensis, Oratoris sacri adhibebitur partibus, Rohanium autem, Cardinalem, euocatum iri, ajunt, a canonicis Rhemensibus ut solemnia inaugurationis sacra administret. Posteaquam lis, quae Contio Principi cum vxore intercesserat, finita est, curiae superiores patres decreuerant, ut Contius vxori in monasterio, quod portus regii nomen gerit, conclaue praeparari, & praeterea carpentum, eius destinatum vsibus ornari iuberet, viginti, que millia librarum gallicarum ei quotannis penderet. Interea inueniuntur, qui isthaec omnia vana esse dicitant, & Contiam marito propemodum reconciliatam, arbitrantur. Proximis diebus coronae aliquot ex Fano S. Dionysii in aulam fuerunt allatae, quae cum regis capiti imponerentur, illa omnium apertissima regi visa est, quae olim Ludouico XIV. fuerat imposita. Cum autem & hanc caput suum rex praegravare dixisset, Villaregius perquam opportune regem monuit, quam graue illi cum honore regio onus fuerit ferendum.

NB. NB. (a) *Gallis dicitur* La main de Justice, propterea quod in eius apice manus duobus cum pollice digitis erecta conspicitur, tam fidei, quam Iustitiae signum.

(b) *Gallis*, Les Offrandes, panis scilicet, lagena argentea vino repleta, & tredecim numi aurei.

(c) *Vocatur etiam* La Baniere de St. Denis, estque rubrum vexillum aureis flammis distinctum.

Londini, a. d. 21. Maij. Ex quo tempore, inuentos fuisse, intelleximus, nefarios homines, qui furis, nescimus, quibus agitati, tranquillitatem turbare publicam, & absente rege, multitudi concitare voluerant, non tantummodo summa cura studioque inuestigamus esse.

scelesti consilii auctores; sed omnia fedulo comparamus, quibus obuiam ire fas est turbis, ex inprovisio ingruentibus. Equites juxta peditesque, qui in vicinis huic urbi locis per hospitia distributi fuerant, in urbem nunc immigrare iubentur, quibus res tormentaria, globique igniuomi, præcipua aduersus inconditum vulgus terricula, largissime subuectantur. Neque in vim apertam eruptura, credimus, clandestina maleuolorum consilia, quum neminem exterorum Principum a suis iam stare partibus, animaduertunt, & vanissimis equitis Georgiani pollicitationibus se egregie deceptos conspiciunt. Nam, ut e litteris Mantua Grpntanorum ad nos perlatis cognouimus, omni Grimaldus *Marchio Stanhopio*, legato nostro adfirmavit adseueratione, nihil adhuc mutatum fuisse Regis sui erga nos animum, & rerum militarium copiam, expeditioni cuidam parari, ex qua nihil periculi magnæ Brittanniæ metuendum sit.

Ex prouinciis quas Albis adluit inferior, a. d. 26. Maji. Ranzouius, comes & frater illius, qui violenta morte nuper perierat, tempore, quo venatum exierat, captus, & præsidio munitus militum, Izehoam abductus est. Sunt, qui Rensburgum eum propediem iri deductum, ajunt, ex qua vrbe Hagedornius, qui Danorum Regi est a consiliis, Hamburgum profectus est.

Vienna, a. d. 10. Junii. Augustissimus Imperator, qui Laxenburgi adhuc variis venationum generibus animum suum oblectat, quotidie fere de rebus summis cum sanctioris consilii patribus deliberare solet. Ceterum Serenissimus atque Eminentissimus *Cardinalis Saxo-Cizensis* quotidie iam hic exspectatur, eum enim publicis in Hungaria comitiis, quæ Pofonii celebrabuntur, interesse oportebit.

Alia, a. d. 12. Junii. Nudius abhinc quartus, cursor ab Excellentissimo Co-

mite Windischgrætzio, Cameraco missus, Laxenburgum hac transit: alius autem ab Imperatore nostro ad Exc. *Comitem Kinskyum* in Moscouiam fuit dimissus. Militum illi delectus, quos nuper tum intra tum & extra vrbs mœnia institui cœpisse nuntiauimus, ex voto cedunt, plurimis vltro nomina dantibus.

Pofonii, a. d. 17. Junii. Nocte ea, quæ inter 13. & 14. mensis præsentis diem intercessit, hora II. cum omnia propter quietem iam conticuissent, per incuriam ferui Magnatis cuiusdam, qui in diuersorio, cui a rubro boue nomen est, hospitium sibi sumferat, dirissimum exortum fuit incendium. Tantopere vero statim flammæ, sæuebant, vt, antequam ex somno excitati homines concurrere, opemque ferre potuissent, proxima ex vtraque parte ædificia illis correpta fuerint, neque vlla ratione extingui amplius potuerint. Satis itaque habebant ciues, quod, cum altera quidem ex parte flammæ nullam haberent amplius domum obuiam, alteram ab earum vi defendere potuerint, atque prohibere, ne alter domorum plateæ illius ordo flammis exuperantibus atque volantibus corriperetur; sex itaque domus in cineres sunt redactæ. Ceterum quod tempus publicorum regni comitiorum appropinquat, complures iam in urbem accedunt prouinciarum ablegati. Ipse quoque hospitiorum aulæ regiæ metator iam ad est. Si famæ, quæ in vulgus exiit credendum est, numerosissima pro aulicis, qui regem indulgentissimum stipabunt, conscriptum iri aiunt hospitia. Hesternæ die generalis procerum comitatus nostri Pofoniensis conuentus, in hortensi Excell. R. H. Palatini palatio, institutus fuit; in quo de instruendis ad proxima comitia legatio actum est. Multum præterea in eodem conuentu de scæminea gentis regiæ successione sermo fuisse dicitur.